

nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impertietur auctoritas. Et in Constitutione, de novo Codice faciendo: (1)
 „ Hac quæ necessario corrigenda esse (inquit) multis re-
 „ tro Principibus visa sunt, interea tamen nullus eorum
 „ hoc ad effectum ducere ausus est, in præsentibus do-
 „ nare communibus & auxilio Dei omnipotentis censui-
 „ mus, & prolixitatem litium amputare. Multitudinem
 „ quidem Constitutionum, quæ tribus Codicibus, Gre-
 „ gorianis, & Hermogenianis, & Theodosianis contine-
 „ bantur, illarum etiam quæ post eosdem Codices a Theo-
 „ dosio divina recordationis aliisque post eum retro
 „ Principibus a nostra etiam clementia positæ sunt, re-
 „ secando; uno autem Codice sub felici nostri nominis
 „ vocabulo componendo, in quem colligi tam memora-
 „ torum trium Codicum, quam novellas post eos posi-
 „ tas constitutiones oportet,.

Ut igitur ad rem veniamus, Codices quidem, & Imperatorum Leges ante Justinianum has fuisse constat. In primis Regum Romanorum Leges, & *δωδεκάθετος*, sive Leges XII. Tabularum. Secundo, Leges Tribunicie, aliaque Senatus consulta. Tertio, Edicta, & Rescripta Principum, a Cæsare ad Hadrianum usque. Quarto, Papyrii Justi Codex *Papyrianus*, Constitutiones Marci Antonini & Veri Imperatorum, Libris XX. complexus. Quinto, Codex *Gregorianus*, & *Hermogenianus*, Constitutiones Imperatorum ab Hadriano & cæteris deinceps Imperatoribus usque ad Diocletianum. Sexto, Codex *Theodosianus*, auspiciis Theodosii junioris, & constitutionibus Constantini Magni & sequentium Imperatorum collectus, Libris XVI. distinctus, & anno XVI. ejus Imperii, Christi 438. absolutus. Septimo, Novellæ Imperatorum Constantini, Arcadii, Honorii, Theodosii, Valentiniani, Marciani, Majoriani, Anthemii, quæ, tamquam Codicis Theodosiani appendix, editæ sunt Lugduni 1593. Paris. 1609. & 1631. Octavo, novellæ Zenonis, Basilisci, & Anastasii. De quibus omnibus consulendus

(1) Antiquissima Codicis novi editio Latina Cod. Vat. inter impressos 9051. in membranis excusa. Anno nostrorum Christi 1475. a d. VI. Kal. Februariis.